

eum frequenter extitisse victorē sui populi; verum ubi primum se ille appellavit Deum valliū, & dixit Deum Israëlī Deum solū mōtium, statim ut superbus pœnam sustinuit. Quid? nonne culpa maior adorare dæmonem ut Deū, quàm se nuncupare Deum valliū? Aperiam quid sentio: eum se nuncupavit Deum valliū, duplex patravit scelus Benadamus; prius fuit dividere imperiū Divinū, seque Deo in regimine socium adjūgere; & quidem consortium in gubernando nec Deus patitur; orbē enim destrueret, qui Dei imperiū divideret. Posterius scelus fuit contemptus divinitatis, ablata potestate, & titulo immutato; nullus enim maior divinitatis offensōr, quàm illius contemptor. Subito interitu Datan, & Abirō terrā ipsius visceribus sepulti sunt, eō quōd cōtempserit Moysen. Caius verō fratricida evadit mortem; & Divina promissione firmatur ad vitā; quid? sic Deus lenis erga Caiū, sic asper & severus erga Datan & Abiron? Ita: referebat Moyses Deum ipsum, imō erat vice-Deus: *Constituite Deum Pharaonis*: & cum foret culpa Deum contemnentis, illam pœna æqualis consequi debuit. Hanc à Deo politicam hausit David, quando ferro flammaque vastavit civitates Regis Ammon, eō quōd ipsius Davidis legatos despexerit. Patienter tulit offensorem Saulē, quasi offensōr læderent se privatum: non distulit pœnas sumere ab offensore Ammon, eō

1. Reg. 13.

Imperij socium nemo patitur.

Contemptus prius auge fitur.

Num. 16.

Gen. 4.

Exod. 7.

1. Reg. 12.

quōd injuria offenderet regiam maiestatem: & quidem vulnera per contemptum inflicta ita debent curari, ut illorum nō remaneant cicatrices, aut vestigia. Hac ratione punivit Deus Pharaonē, simulque eripuit ab illius manibus populum Hebræum: sed populus fuit adeō rebellis, ut ingratitude æquaret vel æmularetur favores, quasi ingratus in id impudenter propendat, ut suā ingratitude favoribus sibi impensis metiatur.

CAPUT V.

Ingratitudo populi fecit illum rebellem.

§. PRIMUS.

Ingratitudo populi æmula Divine clementie.

46 **P**rodigium Rubri maris satis nō fuit, ut populus ab ingratitude respiceret; nā super amaras aquas illius loci Mara, defecit iterum, & verbis amarulentis detraxit Moysi: *Murmuravit populus contra Moysen*. Ingratorum satis nota conditio est murmurare, ne gratificari cōpellantur; item gentis sceleratæ patefactis alienis defectibus suos tegere. Murmuravit Judas, & murmuravit Pharisæus, quando viderunt Magdalenam ad pedes Servatoris provolutā: Judas tamquā latro, quando illa pedes largiter unxit; Pharisæus tamquam malitiosus, quando illa coniter à Domino fuit admisa. Quia Judas

Clementia divina in grata ingratis. Exod. 15.

Murmuratio ad legendam proprias culpas. Matth. 16. Luc. 7.

Judas voluit suam cupiditatem occultare, Pharisæus excusare suas culpas murmurando de alienis.

47 Cū verō Moyses ex innata mansuetudine noverit injurias oblivione superare, efflagitavit à Deo remediū pro suo populo. Deus igitur semper pronus ad ferendā opem, præcepit Moysi, ut tangeret aquas quodā ligno, quod illi indigitavit; ad ejus contactum acceperūt aquæ dulcedinem, deposito amarore: *Ostendit ei lignum, quod cū misisset in aquas, in dulcedinem ver se sunt*. Duo cōseō animadversione digna; alterum, quōd Deus jussit reddi dulces aquas immeris ligno quodā, & non virga illa Moysis quæ prodigiosa erat: alterum, quōd tulerit tam festinam opem genti tam festinantèr querulæ, ac tam properatèr rebeli. Utrique satisfaciā. Voluit Deus aquas dulcedinem capere à ligno, & non à virga, duplici ex causa.

Exod. 15.

Principium potestatis invidiam parit, & odium.

Isai. 9.

Prima, quia cū virga loco sceptri haberetur, nō poterat dulcedinē impertire: sceptrum enim cū suo apte ingenio sint insipida, eā apud omnes conflagent invidiā, ut potius instillare amarorem, quàm dulcedinem præsumantur. Cōperio fuisse præsignificatam crucem Christi in 8. Pagina: *Factus est principatus super humerum ejus*. Et non arundinem, quam per ludibriū manu gestavit: cur maiori plausu crux, quàm arundo excepta, cū utraque Domino fuerit dolori, & improprio? Quidquid alij sentiant, ego iudico discrimen esse, quia ex cruce

sperabant homines aliquid sibi emolumentū; ex arundine utpote scepro nullum sibi promittebant. Secunda: ideo aquæ receperunt dulcedinem à ligno, ut significaret Deus populo ligna, & lapides habere virtutem afferendi remedia, quando populus carebat animo gratificandi pro remedijs acceptis. Nam cor ingratū lapidibus durius est. Quando in Christi funere acerbissimus dolor fregit lapides, Judæi tanto prodigio in id solū impulsī fuerunt, ut pectus quaterent: *Revertentur percutientes pectora sua*. Percutiebāt, sed nō frangebant, quia erat populus ingratus: & cor ingrati, quamvis foris timore quatitur, intus tamen non frangitur vero dolore subactum. Christi morte fracti sunt lapides, & Judas Christo ipso ad suos pedes provoluto magis obduruit, certè durior ipsis lapidibus: quia sortitus fuerat cor à populo ingrato.

Ingratitudo durities.

Luc. 23.

Celeritas Dei in optulando.

Isa. 29.

Cant. 5.

48 Festinum Deus populo suo, etiā ingrato, adhibuit remediū: quia remedij valor & æstimatio consistit in celeritate, amoris decus in paciētia. Dubius hæsit Thomas de Christi resurrectione, & Dominus ut medelam afferret incredulitati, januis clausis cœnaculum ingressus est. Non expectavit moram aperiendi ille idem qui sponsam, sanctā animam quærens pro suo levamine, pulsavit ad ostium, & lentam expectavit apertionem. Qui erga Thomā tā festinus, erga ipsōsa cūctabūdus? Ita: quia in Thoma quærebat Christus Apostoli

*Amor
festinat
ad feren-
dam o-
pem.*

toli remedium, in sponsa quaerebat proprium levamen: & amor purissimus, ac fervētissimus, qualis Christi, sicut volat ad remedium suorum, sicut patitur dilationem proprii levaminis. Seraphini Isaia volabant duabus alis ad thronum Dei: *Duabus volabant.*

Isai. 6.

Quando autem unus illorum divertit ad Prophetam, sex alis volatū explicuit: nam iter ad thronum dirigebatur ad propriam gloriam; iter ad Prophetam, erat pro illius remedio: & Seraphinus talis in amando proditur, quādo magis festinat ad alienum remedium, quā ad propriam gloriā. Summa amoris perfectio est, habere alas ad ferendam opem ingratum: sic Deus amator suo populo, sic Christus Thomæ opem tulit. Postquam Moyses satis cōquestus ingratitudinem populi erga Deum, conatur manifestare amorē Dei erga populum: idē amorem illum æquiparat pupillis oculorum, & sic æquiparatum confert, & assimilat aquilæ: *Custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum. Quid non satis erat æquiparatio cum oculis ad extollendum amorem? Credidit Moyses non sufficere: quādiu enim non vidit amorē alatum pro ferenda ope, non intellexit perfectum.*

*Deut.
32.*

49 Extinxit populus aquas sitim, sed non ingratitudinem, ut pote manentem beneficii ipsi vivaciore: scribebat enim beneficia in aquis, quæ solum pollut

lingua ad murmurandum, ita ut quō magis accipiunt, eō magis murmurēt. Rebella vit tertio populus contra Moysen & Atonem: & conquestus est e ereptū à servitute Aegypti, ut in solitudine periret fame: *Cur eduxisti nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* Ingratitudo reddidit populum rebellem, & rebellio insolentem: quia in angustijs non sollicitabat remedium, nisi murmurationibus, & querimonijs. Deus autē se ad omnem & benignum exhibuit, ut murmurationi & querimonijs satisfaceret castra implendo coturnicibus eadem die, & sequenti, manna cælesti. Inquiro modō: si Deus erat opem allaturus populo querulo, non fuit satius intercipere egestatem, ne accideret? Non fuit: quia volebat Deus populum egestate reddi gratum: siquidem apud homines potentior est dependentia, quā beneficium. *Ut tentem eum* (dicebat Deus Moysi) *utrum ambulet in lege mea, an non.* Quō non pertingit vis rationis, quæcumque illa sit, dependentia perficit, & absolvit. Nam dependens cuicumque subicitur. Christus assimilavit canibus Chananzam, quæ cū appeteret cibum, tulit patienter similitudinem, quæ videbatur injuria. Dependentia sustinet omnia, personæ depressionem, & honoris detrimentum. Tres Reges, scilicet Juda, Israël, & Edom se a lacres itineri accinxere ad invisendum Elisæum, pressi defectu aquarum, pro extinguenda siti exerci-

Ingratitudo parit rebellionem.

Exod. 16.

Benignitas Dei.

Dependentia quantum possit.

Exod. 16.

Matth. 15.

Faustio exa dependens.

4. Reg. 3.

exercitus: *Descendit ad eum Rex Israel, Josaphat Rex Juda, & Rex Edom. Quid? ad invisendum Elisæum, virum detentum cultura stirum agrorum, se deprimunt tres præclari Reges, quin maiestas gressum præpediat? Cur non potius jusserunt acciri Elisæum ad curiam? Erat Elisæus vir Prophetæ, è cuius arbitrio pendebat auxilium suæ calamitatis pro aqua cælestis obtinenda: ubi autem intervenit dependentia, etiā Reges propriæ detrahunt auctoritati. Restitit Petrus lavacro pedum in nocte cœnæ: ubi tamen Servator ei minatus est: *Non habebis partem mecum. Confestim se totum subdidit, à pedibus usque ad caput: quam enim dependentiam non intellexerat antea, ex Christi verbis cognovit, & momento eodem quo se vidit dependentem, professus est subditū. Si tamē Petrus se Deo gratum subicit, cur populus in ingratitudine mansit rebellis? Quia tāta præditus erat ingratitudine, ut nec dependentia posset respicere gratum, proindeque subditus fieret.**

Joan. 13.

Egestas bona.

Meritas honorant.

50 Egestate premens Deus populum suum, ad scopum duplicem collinabam; alterum, ut necessitate compulsus sollicitasset remedium tamquam dependens; alterum, ut tali sollicitudine & labore illud mereretur: ille enim favor honorat, qui meritis est. Egreditur Judas ad vendendum Christum, eique necem machinandam, & tunc tempus mortis vocat Dominus tempus glo-

riæ suæ: *Nunc clarificatus est filius hominis. Et non sic appellat tempus resurrectionis: per mortem enim gloriā adeptus est. In Cruce supra Christi caput Regis titulus collocatur: scimus eundem titulum Regis loco satis inferiori positum vidisse Joannem in gloria: *Et in femore ejus scriptum: Rex Regum. Cur in Cruce, & in cælesti gloria magnificus ille titulus fert locum tam dissimilem? Cælestis gloria denotat quietē, Crux secum portat laborem, & merita: nomen præclarum Regis, titulus est honoris, qui eō magis fulget, quō maiora in conspectu habet merita. Hoc in causa fuit, cur Romani olim noluerunt quōd fieret ingressus ad Templum honoris, nisi per templum virtutis, ut innotesceret nullum posse comparari magnum, & legitimum honorem, nisi prævia virtute, quæ genuina meritorum parens est.**

Joan. 19.

Apost. 19.

Virtus via ad honorem.

Exod. 17.

Murmuratio populi.

Apost. 17.

51 Nihil tamen satis fuit ne populus in sua rebellionē duraret: in solitudine enim Raphidim quarta vice defecit: *Cur eduxisti nos exire de Aegypto, (dicebat ille ad Moysen) ut occideres nos, & liberos nostros, ac jumenta siti. Omnis aqua murmurat, & omnis populi sitis murmuratio erat. Sed interrogo: de quo murmurat populus, & cur queritur se sequi Deum tot prodigijs per solitudinem ducentem, quādo olim Reges ac Dynastæ per confraga & aspera montium sequebatur alacres insignem illam peccatricem Babylonicam? In promptu causa est, scilicet ipsa hominum rebel-*

lio & ingratitude, ex qua pullulat non minor alacritas, & pronitas ad sequendum mundum, quã difficultas & cunctatio ad sequendum Deum. Ad ostium Sponsæ pulsavit Deus, & illa reuivapere, obtendens quietem lectuli non interturbanda: *Expulsi me tunica mea.* Jacebat Samuel in lectulo, & ter surrexit, exitimãs se vocari ab Heli: *Cucurrit ad Heli, ecce ego.* Cur Samuel toties interruptum somnum, & Spõsã nec semel vult deserere quiete? Quia Samueli visum est vocari ab Heli, Spõsã intellexit vocari à Deo: & quidem ad vocem Dei sumus tardi, ad vocẽ hominum, & creaturarũ prompti accurrimus, etiã nostro impendio. Ad vendendũ Servatorem, paruit Judas diabolus ad nutum: *Cum jam diabolus misisset in cor, ut traderet eũ Judas.* Mandatum portandũ dedit, quasi dedignaretur diabolus personaliter ingredi infame cor proditoris ingrati: & factis fuit mandatum, ut Judas confectum obediret. Lavare pedes Petri voluit Christus, & Petrus non se subdidit, nisi Domino minaciter imperanti: *Non habebis partem meã.* Cur tam facilis Judas, & tam difficilis Petrus? Quia ferẽ semper vitium amplectimur ad nutum, & Deo vix paremus, etiam ad repetitum mandatum.

52 Non solum conquestus est populus hac opportunitate sequendi Deum persolitudinem, sed eò rebellionis devenit, ut Moyses interrogaret, an populus haberet Deum, qui opem fer-

Cant. 1.
Hominibus facilius aliquid quam Deo.

1. Reg. 1.

Johan. 13.

Johan. 13.

Ignorantia ingratorum.
Exod. 17.

ret: *Est Deus in nobis, an non?* Videbant quotidiana miracula, & quã patrabat Deus in eorum auxiliũ, & dubitabant, an Deus esset, eo quod ipsos ferebat: & quidẽ solus Deus talem populi ingratitude poterat sustinere. Ignorantia maxima Deum negat: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Ingritudo maxima Deũ ignorat hãsitante: *Est Deus in nobis an non?* Ingratus enim nec Deum cognoscit, nec à Deo cognitus est. In solitudine ignoravit populus Deum, & adoravit vitulum: *Hi sunt dii, qui te eduxerunt de terra Egypti.* Et Deus eodem tẽpore dixit Moysi: *Peccavit populus tuus: quia videns ingratum, nescivit tamquam alienum.* Ignorat Deus ingratos, quia abominatur & reprobatur ingratitude: ignorant ingrati Deum, quia abominantur suum benefactorẽ, ita ut quod plus beneficiorum immemores fiant, sicut populus Hebræus.

53 Illud tamen non possũ non mature animadvertere, fuisse populum tam immemorem, cum beneficia forent à Deo tam multiplicata: & quod Deus sic multiplicaret beneficia, cum populus esset tam immemor. Ut de hacre pro meo captu feram sententiam, plana ac trivialis imprimis gentis ingratorũ oblivio est, sicut gentis gratæ memoria. Ex quo provenit, ut sicut viro grato beneficium unicũ apparet multiplex ita ingrato multiplex, videatur nullũ. Refert sacer Historicus miraculum, quod in muto

Exod. 32.

Exod. 32.

Ingrato multiplex beneficium videtur nullum; grato autẽ apparet multiplex.

patra-

patravit Christus, & tamquam gratus unicũ, ut multiplex prædicat: *Surdos fecit audire, & mutos loqui.* Per innumera propẽ miracula auxiliatur Christus Judæis, & hi quasi nullum vidissent, miraculum petunt: *Magister, volumus à te signum videre.* Cum enim forent ingrati, miracula innumera reputabant nullum, atque adeo in calamo scriptoris grati unicũ beneficium crescit in multiplex; in ore ingratitude multiplex evanescit in nullum. Ratio discriminis solum petenda est ex fœda conditione ingratitude. Ingratus enim pro comperto habet, quod plus accipit, eò sibi plus debet: & sic beneficium sibi collatum reputat debitum solum, & cum donationem loco solutionis ponat, nõquam fatetur se obstrictum, sed semper manet immemor. Postquam populus se cõtulit in deserto ad colenda idola, dixit Deus Moysi: *Vade, descende de loco isto, non enim ascendam tecum.* Cur Deus vult deserere populum suum, cui se promiserat asidere in deserto? Quia volebat illũ videre auxilio destitutum, ut experiretur beneficiorũ memorẽ: nam ingratus quod plus debet, eò plus obliviscitur, & maiora beneficia compensat maiori oblivione, ut multiplicet ingratitude, quãdo debuerat multiplicare grates.

54 Multiplicabat Deus beneficia erga populum immemorem: nam Dei propensio innata est sustinere, & beneficijs cumulare ingratum, donec gratus fiat:

item dissimulare injuriam propriam, ut malo alieno medeatur. E tribus divinis personis carnem nec assumpsit Pater, nec Spiritus Sanctus, sed tantum Filius: & incarnatio videbatur spectare ad Patrẽ, tamquã opus, in quo maxime potestas viguit, vel saltem ad Spiritum Sanctum, tamquam opus, in quo amor mirificè efferebuit. Filius tamen incarnatus est ob salutem hominũ, ex eo quod fuerit illorum ingratitude directe offensus tamquã sapientia Patris, contra quam ausus Adam peculiariter deliquit: *Eritis sicut dii scientes.* Assumptio carnis in Filio data est pro redimendis, ac reparandis ingratis, ut eò devenit ardor, & vis amoris, ut quando vehemens urgebat ratio, ut detestaretur nos, injuriam dissimularet, ne deesset remedio. Eadem nocte qua homines Christo intulere maximam injuriam, illique fuere ingrattissimi, contulit illis Christus donũ maximum: & quo tempore homines volebant ex odio Christi sanguinẽ ebibere, & carnẽ mordicis laceratam devorare, piissimus Dominus ex amore suam illis carnem comedendam, & sanguinem ebibendũ tradidit: *Ego enim accepi à Domino (inquit Apostolus) quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Cur in hac potiũ, quã in alia opportunitate? Quia tũc maxime Christi corpus obvolutum Sacramento requirebatur homini ad alimen-

Marc. 7. Matth.

Exod. 33.

Beneficia Dei erga ingratos.

Gen. 3.

Amor dissimulatur injurias.

Bonum pro malo reddit amor.
1. Cor. 5.

tum vitæ spiritualis in hoc mundo, & ad pignus æternæ vitæ in cælo: quamvis ergo injuria foret ingens, non permisit amor ingēti-
or, ut denegaretur hominibus beneficium, quo summè indigebant, ut grati fierent.

§. SECUNDUS.

Docuit Deus Moysen quomodo altatus esset remedium ingratiss.

Remediū
pro in-
gratiss.
Exod. 17.

55 Documentum aliud simile dedit hac opportunitate Deus Moysi: nam videns populi ingratitudinem suæ clementiæ æmulā, dissimulavit rebellionē, & præcepit Moysi, ut opē ferret pro sedanda siti, qua ardebat populus. Illi injunxit, ut capta manu virga, cum senioribus populū anteiret, & deveniens ad petram Horeb, eam virga tangeret confestim erupturam in juges aquarum scaturigines, pro univerforum castorum sibi restinguenda: & certus esset, se præsentem miraculo patrando exhibiturum. Duo sunt, quæ mihi in hac re pariunt dubitationem: alterum, cur voluerit Deus solos populi seniores fuisse miraculi testes, cum omnes conquesti fuerint, & illius evidentiā convinci possent? Alterū, cur, cum mandaret Moysi patratiōnem miraculi, voluerit præsens adesse, in quo vel suam deprimebat maiestatem, vel diffidebat Moysi miraculum patraturū?

Exod. 17.
Testimonium
populi non
pluribus
faciendum.
Joan. 6.

56 Imperavit Deus Moysi comitatum seniorum, quos adhi-

biturus erat in testes miraculi: *Sume tecum de senioribus Israel, duplici ex causa. Prima est, quia neque judicio, neque testimonio populari stare debemus ad examinanda, & probanda miracula: populus enim solet esse pronior ad affirmandum vitia, quam ad confirmandum virtutes. Populū Hierosolymitanū aluerat Christus per miracula: quibus ille ingratiss non solum fidem non fecerat, sed illorum authorem videns in hostium manus traditum postularit ad crucem, & in cruce suspensum falsis testimonijs irrisit. Examen ac probatio miraculorum à solis viris probatæ vitæ exigenda est, in quibus genuinæ reperiuntur, ac probantur virtutes. Quādo mulieres Christum resurrexisse nuntiaverunt discipulis, eis delirasse visæ sunt: *Visum est sicut deliramentum.* In hac tamen veritate certi ac firmati manserunt, cū Dominus apparuisset Petro, idque Apostolus retulisset: *Surrexit Dominus, apparuit Simon.* Nam veritas eadem quæ in ore mulierum reputatur deliramentum, in ore seniorum, qui optimi sint, qualis Petrus, veritas est.*

57 Secunda causa fuit, vel-
le Deum, ut Moyses documento edoctus intelligeret, ad vitandū errorem in adhibendis remedijs, debere seniores sibi comites, & consiliarios adjungere. *Sume tecum de senioribus Israel.* Nam Princeps gubernans, audito prudentiorū consilio, miraculosus est. Viginti quatuor seniores vidit Joannes assiden-

Miraculorum
probatio.
Matt. 27.

Luc. 24.

Veritas
in oratione
reputatur
deliramentum.

Exod. 27.

Princeps
quos debet
habere
re consiliarios.
Apoc. 8.

assidentis agno in cælo: *Viginti quatuor seniores.* Si Dominus, tum quia innocēs, tum quia puer, vocatur agnus, cur non habet sibi assidētēs agnos, scilicet coetaneos ministros? Quia est Princeps & Rex in throno collocatus: *In medio throni:* item adeo sollicitus de bono subditorum, ut plurimos habeat oculos in eorū beneficijs detentos: *Habentem oculos septem Dei missi in omnem terram.* Sic ad patranda miracula in conferendis beneficijs, seniores soli juvabunt, utpote prudentiores. Ex supermūdāna regione ad consilium status in Thabore celebrandum accivit Christus Moysen, & Eliam, quorum ille jandiu mortuus fuerat, hic ex lōgo tempore vivebat; & sic ætate experti poterant maturè consulere de rebus gravissimis, ad bonum ac remedium hominum spectantibus. Nō acquievit Moyses potestati virgæ, donec ei Deus Aaronem consiliarium, & Prophetam adjunxerit, quo adjuncto, habens potestatem cū prudentia comite, sibi felix ac miraculosū promissit regimē, & sic accidit.
58 Faciamus satis dubitationi alteri, quā proposuimus, nēpe, cur voluerit Deus miraculo præsens adesse? *Ego stabo ibi coram te.* Fuit hoc sublime documentum ex penu Divinæ sapientiæ depromptū. Princeps remedium suorū subditorum nulli alteri demandare debet, nisi ipse remedio adhibendo præsens assistat. Opportunitate altera commisit Deus curā sui populi An-

gelo, quo audito populus ubertim ploravit: *Audientis populus sermonem hunc pessimum luxu.* Quid non è re erat, populivē ferebat utilitas administrari per Angelū, cum Deus Angelos custodes hominum fecerit, ac designaverit: *Angelis suis mandavit ut custodiant te?* Ita: sed non placebat velle Deum demandare alienæ indutrix sui populi remedium. Voluit Christus pascere in deserto turbam fame oppressam, & non commisit discipulis ex integro remedium, sed ipse capiens panes distribuit discumbentibus. Et ex hac partitione eum agnoscentes turbæ voluerunt acclamare Regem. Angelus erat minister piscinæ, & tamen opus fuit, quòd Christus adesset, ut paralyticus haberet sanitatem, quam triginta & octo annis non comparaverat.

Ex ratione duplici movente debet impelli Princeps, ut suorū remedijs intersit: altera petenda est ex benevolentia, & amore, quem præsens à suis omnibus colligit: altera ex nomine & gloria, quam sibi comparat: vassalli enim solum agnoscunt, & venerantur magnū, ac magnificū Regem illum, qui suorum remediū alienæ indutrix non committit; imò magnitudine credunt desitutum, qui in rebus arduis ac dubijs suos propria præsentia destituit. Moysen Deus appellavit Deum, & populus quādo ille se recepit in motem, vocavit hominem: *Moysi viro isto.* Ille qui in ore Dei Deus, in ore populi ho-

Exod. 17.

17.

Remediū
ex sola
principis
præsentia.

Joan. 6.

Seniores
consilii
esse
debent.
Apoc. 5.

Luc. 9.

Exod. 4.

Præsentia
principis
inter.
Exod. 17.

Exod. 32.

mo est, quia, cum se populo subtraxit, & pro ferenda ope in angustijs difficillimis rebus fratrem Aaronem substituerit, apud suos Divinam existimationem perdidit ex præsentia subtraxit, & amore imminuto.

Bonus pro malo reddendum.

59 Patravit miraculū Moyses in lapide Horeb, quo levavit populi miseriam, restinguendo sitim. Quia in Divina palæstra addiscitur bonum pro malo reddere, & ex corde acceptas injurias condonare. Et quidem hominū in veritate ac luce Christianæ fidei degētium opprobrium est, succumbere odio ad vindictam, quando Cyrus & Augustus in tenebris idololatriæ caligantes maiore gloriā adepti sunt exhibita clementia, quā propagato imperio. Principē ex debita tali muneri lenitate vocant sacræ litteræ medicum, & patrem; quia nemo medicum, vel patrem recte agit, nisi deposita severitate: Princeps igitur ex munere sibi inuncto tenetur & medelam adhibere tamquam medicus, & cōdonare offensas tamquam pater. In deserto oblatus fuit Christo Regis titulus; quem ipse renuit fugiens in montem. Eundem titulū accepit in cruce, nec permisit auferri, etiam procurantibus ablationem Judæis. Nam acceptare titulum in deserto, erat recipere compensationem pro beneficio alendi homines: in cruce acceptare Regis titulum, erat recipere obligationem parcendi hominibus. Est conditio, seu obligatio hæc tam addicta regiæ

Clementia & benignitas quantum decantant Principem. Isai. 1. Eccl. 4.

Joan. 6. Veniam dare Regis est.

dignitati, ut sacer historicus narrans de die illa magna, quando Christus reddet unicuique juxta sua merita, nō illi Regis titulū adscribat, quando designat supplicia, sed quando dividit præmia: *Tunc dicit Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti. Quia longē plus magnificat Principē actio conferendi præmiū, quā infligēdi supplicium.* Baptistam protecturus exhibuit Deus integram manū: *Manus Domini erat cum illo.* Balthasarem puniurus ostendit solos digitos: *Apparuerunt digiti quasi manus hominis.* Cur illic manus exporrecta & tota, hęc contracta & diminuta? Quia illic se gessit beneficium hic punitorem: & quando Deus punit, apparet minor se benefico. Manus illic pertinebat ad Dominum: *Manus Domini*; hęc manus spectabat ad hominem: *Quasi manus hominis*: imō referebat similitudinem manus hominis. Nam Deus beneficia conferens, Dominus est; supplicia infligens, homo videtur.

Matth. 25. Beneficia plus magnificant regem quā supplicia. Luc. 1. Dan. 5.

§. TERTIUS.

Precaionum armis liberavit Moyses populum, quando hic se magis ingratum gerebat.

60 Hebræus populus erat adeo ingratus, ut ad mensuram beneficiorū ingratitude cresceret. Quinta vice rebellavit in deserto Raphidim querulus, ac formidans Amalecitas insequentes animo cædendi, abolēdi que penitus

Exod. 17. Odium est etiam hereditas.

nitus ex odio hereditario, quod hauerant ab avo Esau: nam odium in homines etiam hereditas est. Erexit, cōfirmavitque Moyses rebus suis diffidentem populum, præcepitque Josue, ut obviam hosti procederet, & illi suā adstrinxit fidem, promittens in conflictu se laturum auxilium, suis ad Deum precibus in monte Sinai. Quid? prælium offeret Moyses hosti potentiori? Ita: nā Amalec erat Rex impius, Moyses pius, & electus à Deo ad principatum: & facilius est debellare hostes virtutibus, quā viribus, & potentia armorum. Trecentis viris expugnavit Abrahamus quinque Reges, corūque numerosos exercitus cæcidit. Quia Abrahamus suis virtutibus obtinuit Deum protectorem, & contra Reges Sodomæ pugnavit sua scelera. Sanctum appellavit Christus Parentē æternū, quādo ab eo postulavit auxilium: *Pater Sancte serva eos, quos dedisti mihi.*

Victoria comparatur sancti spiritus quā potentia. Gen. 14.

Sancti tunc committunt virtutem. Rom. 17. Isai. 6.

Cur postulans defensionem contra hostes, vocat sanctum, & non potius fortem? Quia potentior est sanctitas, quā fortitudo, ut nos ab hostili impetu tueatur. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, appellabant Angeli Deum. Quid? sanctum vocant, quando Deum exercituum? Cur non validum, non fortem, quæ duo magis juvant ad bellum? Pro debellandis hostibus longē maior est vis sanctitatis, quā valoris, & fortitudinis: certum cum Deo sit exercituum Dominus, qui fuerit præditus sancti-

tate, habebit pro se ipsum Deū, & omnes exercitus.

61 Paruit Moysi Josue, & hostē fortiter aggrediens in cōstitū superavit: vesūm sacer Textus manibus Moysis adscribit victoriam: *Cumque levaret Moyses manus, vincebat.* Nam manus Principis sunt quæ victorias assequuntur: & quidem sublata ad Deum sunt potentiora arma pro domandis hostibus. Vidit Joannes quosdam cæli aulicos gerentes in manibus palmas: *Et palme in manibus eorum.* Et alios prædixit signados signo Dei: *Quosque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Cur quosdam videt jam ornatos palmis, & alios sola spe gerendi signum Dei? Quia priores crabant sine intermissione: *Palme in manibus eorum, & clamabant, dicentes: Salus Deo nostro.* Ubi audiuntur orationis voces, statim auditur plausus triumphi; & ubi cessat oratio, fortitudo quantum vis potentissima non assequitur victoriam. Celerius vincebat Judas Machabæus corde in Deum erecto, quā arrepto manu gladio. Nam Deus nostris precibus compulsus, est qui corda roborat, animos erigit, impendit triumphos: & quicumque novit orare, novit vincere. Oratio ne Daniel extinxit flammam, lenivit belluas, prostravit milites. Oratio Deo pro sacrificio est, orantibus pro præsidio, & hostibus pro flagello. Continetur in oratione honor, & utilitas: honor erga Deum, utilitas erga hominem: quando enim recognosci-

Principi manus vincunt. Exod. 17.

Oratio vincit hostes. Apoc. 7.

Manus th. 1.

Oratio vincit.

mus omnipotentiam Dei, de illius bonitate recedentibus: proindeque nostra obligatio nostra utilitati inferitur. At si rationi consonum est, quod orationis arma expugnent omnia; quia Deus pro oratibus pugnat: quod defendant ingratos, rationi videtur absortum: ingrati enim non merentur auxilium Dei. Dicam paucis. Arma orationis duas habent qualitates, robur, & clementiam: robore omnia superat; clementia omnibus parcunt: & qui parit omnibus, etiam ingratos defendit.

§. QUARTUS.

Movens bellum injustum tanquam ingratus iritat Deum.

Exod. 27.

62 Subacto Amalec, dixit Deus Moysi se omnino extinguenturum in orbe memoriam Amalec: *Delebo memoriam Amalec.* Nā perversorum vult Deus superesse tantum supplicium pro memoria. Quæro, si Amalec audacissimum fuit aggrediendo populum Divina virtute protectum, nonne satis fuit punitus, parva contra ipsum victoriam, quæ pro supplicio Principibus esse solent? Nō fuit hæc punitio satis: iterū puniri debuit: *Delebo memoriam Amalec:* quia bellum injustum populo intulit. Est Deus author vitæ & pacis: bellum, ambitionis, & crudelitatis parens est: & ideo ægrè fert ipse Deus ambitione vel odio violari pacem, ac perire vitam: bello ipso punit moventem, & prosp. ro eventu belli so-

Bellum
injustum
punit
Deus.

let confirmate dominatum in legitimo domino. Juber Nabucodonosor de nuntiare bellum omnibus provinciis, quæ se in perio suo nō subjiciant, & cum omnes mandato renitentes tale decrederet imperium, jurat se esse defensurum ab illis omnibus: *Luxa- vii per sceptrum suum facit quod in se est, ut defenderit se.* Putabam fore ut juraret se tales provincias subjugaturum, vel expugnaturum: & ille juravit se defensurum: nam ex cupiditate, & appetitione alieni orta fuit necessitas se defendendi ab illis, quibus injustè bellum denuntiabat. Formidavit supplicium Amalechi, quod subivit.

Iud. 63.

63 Duo vellè monitos esse Principes ut haberent Deum in bello propitium, alterum nempe ut intelligat bellum non esse de liberationem gladii, sed esse oppignerationem justitiæ: *Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ, dixit Rex sapiens.* Gerendum est bellum necessitate, & non voluntate: ideo affligit ab à Deo David: *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* Alterum, esse bellum prudenter gerendum, ut illius eventus respondeat optatis: ideo finxit antiquitas Bellonam è Jovis cerebro profluisse. Cum enim innumera mala & calamitates bellum parturiat, necesse est quod illi Deus exoratus assistat, ut vitentur mala, & prudens interveniat gubernatio, ut exitus felix contingat. Davidem fecit Deus supplicij electorem, ut nempe septè annos famis, vel tres menses bel-

Bellum
quod
gerendū
est
liberatio
in bello.Prudentia
in bello
Psalm.
67.Bellum
fame
per
tur.
4. Reg.
24.

li optaret: *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus menses fugies adversarios tuos.* Quid æquali lance ponderat Deus tam longam ac diturnam famem, & tam breve ac compendiosum bellum? Adeo grave malum bellum est, ut trimetire bellum adæquet septennem famem. Notent obiter Principes, exiguum esse quodcumque præmium collatum militibus per multos annos se benè gerentibus in bello: siquidem tres menses belli adæquant septem annos famis. Acerbissimū supplicium, quod Deus teruit populum suum, fuit bellum, quo labefactaretur: *Faciunt celum æreum, & terram ferream.* Terra ferrea, quos poterit fructus producere, nisi arma, quibus homines pereant. Quando Deus exacerbatus sceleribus hominum, eos vult punire maiori severitate, permittit, ut arma capiant, & inter se bello dissident, seque mutuis funestent cadibus: quando placatus jam vult cōferre vitam hominibus, pacem confert.

Levit.
26.

Scire cupiebat David, an incolomis rectè valeret Absalon vita fruens, & interrogat, an haberet pacem: *Est ne pax puero Absalon?* Nam eadem est pax, at que vita hominum. Non maior effulsit Augusti gloria & felicitas, quando suos bello fregit hostes, sed quādo eo extincto, Mavortis templi clausit januas: nam eo tempore cæli fores apertæ sunt, & descendit pax in homines: *Et in terra pax hominibus.* Est tantum bonum pax, ut æquiparetur cælesti glo-

Pax optata
ut optata.2. Reg.
28.

Luc. 2.

ria: est tantum malum bellum, ut toti orbi sit finem in peritura: *Lu. 21. Pugnabit gens contra gentem. A quibus ignis sicut, ut in orbe aboleretur memoria Amalec, quia voluit inferre bellum, & bellum in iustis: Delebo memoriam Amalec.* Bellum injustum est pessima ingratitude, & quæ magis iritat Deum: ratio est; quia cum ipse homini præset vitam, ut ea conservata homo suo condiderit beneficio deseruiat, vitam eandem homo adducit in manifestum discrimen, suscipiens bellum ex ambitione & odio, cum gravissima tanti benefactoris offensa: & reddere pro eximio bono acerbum malum, pessima ingratitude est.

64. Verum si Deus vult extinguere omnino memoriam Amalec, cur præcipit Moysi, ut litteris exararet in libro victoriam, tanque insularet auribus Josue? *Scribe hoc nomen in libro, & vade auribus Josue: Delebo enim memoriam Amalec.* Item si præcipit referri in librum victoriam hanc, cur non prius scriberentam insungit victoriam, quam reportavit populus de Pharaone, utpote magis gloriosam? Dicam paucis. Nō placet Deo extingui memoriam despectū, nisi post audaces sepultos: Pharaonem maris rubri fluctibus sepelivit: Amalec voluit scribi in libro, ut post supplicium obtineret simile sepulchrum. Vult Deus nullam aliam in piorum superesse memoriam, præter supplicium, ad exemplū: hoc enim bonos admonet, a malis refærnat. Dixit Propheeta lavandum

Lu. 21.

Exod.
17.Supplicij
memoria
debet.

dum esse iustum in sanguine peccatoris: *Lavabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Quid? peccatoris sanguis habet vim lavandi? hoc Christi sanguis peccatiare est: *Lavit nos à peccatis nostri in sanguine suo.* Uterque sanguis ille lavat, sed effectu dissimili sanguis Christi lavat reddendo homines

sanctos: sanguis peccatoris lavat reddendo homines cautos: lavat ille ad sanctitatem, lavat hic ad cautelam. Patet hoc in eventu Pharaonis, ubi submersis penitus Aegyptiis, incolumes Hebraei tinnuerunt: *Tinnuit populus Dominum.* Quid? timore correpti Hebraei, quando debuerant esse impavidi, destructis ad unum suis hostibus? Timent Hebraei in alieno supplicio proprium: vident alienas culpas punitas, verentur proprias puniendas.

65 Rectè habet, quòd in libro scriberetur victoria ad puniendum Amalec, & excitandam memoriam beneficij in populo ingrato, quando iterum rebellasset in solitudine: sed cur jubetur tradi liber auribus Josue: *Trade auribus Josue?* Nonne Josue habebat manus, quibus traderetur liber: & certè manus validas, quibus librè servare ac tueri posset? Ita: sed cum populus extiterit semper infidelis, voluit Deus significare populo fidem Josue, quæ illi obvenerat ex auribus semper atrectis in Deum, & ipsius prodigia: nam per aures ingreditur fides, & cum populus caret auribus ad hauriendum Divi-

Exod. 17. Fides ex auditu.

na miracula & portenta, semper evasit infidelis: quia sine credulitate nec fides, nec lex dari potest. Quæro tandem, quis obturavit aures populi, ne audiret? Ingratitudo: hæc enim ex incredulitate congenitam rebellionem, & ex rebellionem infidelitatem sortita est.

CAPUT VI.

Ingratitudo populum fecit idololatram.

§. PRIMUS.

Ingratitudo & infidelitas semper consoletur.

66 **P**ostquam Hebraei populus queruli, & rebellis notam subijt, statim idololatra redditus est: nam ex uno vitio pullulare solent plurima, & ingratitude peperit infidelitatem, cujus patrens, & individua semper comes fuit. Ascenderat Moyses ad montem Sinai quæ situm legis tabulas: cum verò quadraginta diebus est Deo moraretur, populus seditione ingenti concitatus postulavit ab Aaron, ut sibi conficeret deos, qui multitudinem regerent: quia ignorabant quid evenisset Moysi: *Fac nobis deos, qui nos precedant; Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus, quid accideret.* In hac postulatione se gessit populus ingratum, & illius prætextu falsum: ingratus, quia voluit deserere Deum ex cunctatione Moysis, & deserere Moysen,

Ingratitudo comitatur infidelitatem.

Exod. 32.

Moysen, quia erat cum Deo, qui ipsum ab Aegyptiaca servitute eriperat per prodigia, & ducebat per solitudinem non sine miraculis: falsum, quia probe noverat Moysen esse cum Deo, & quando erat cum Deo, non abesse populo suo. Verum semper falsum fuit populi ingratitude. Hierosolymis petebant à Christo miraculum, & quasi nullum usque ad id tempus vidissent: *Magister, volumus à te signum videre.* Et tuo habito concilio fatebantur plurima: *Isle homo multa signa facit.* Hoc posterius fuit timor invidia, prius fuit effectus mendacij: sed quia erat populus ingratus, se exhibuit in utroque falsum: in priori; quia non postulabat miraculum ad Christum cognoscendum, sed occidendum: in posteriori; quia iudicabat commodum esse consiliariorū occidere Christum ob id quòd miracula edebat: *Expedite vobis, ut minus moriatur homo.*

Ingratitudo semper falsa. Matth. 11.

Joan. 11.

Joan. 11.

Spes populi Hebraei vana & falsa. Infidelitas Hebraeorum ex vana spe.

Fides deus parit deificationem.

saeculis Messiam contulit promissum: quasi longa hæc & vana spes falleret collatum jam diu beneficium. Discipulos qui ibant Emaus desperati: *Nos autem sperabamus,* objurgavit Christus quasi desitutos fide: *Tardi corde ad credendum.* Ibant desperati, & vocantur à Christo infideles: cum enim nescirent credere, non poterant in sperando scopum attingere. Errarunt quidem discipuli illi ex eo quòd fuerint tardi ad credendum; sed magis errant hodie Judæi tardi in sperando, ex eo quòd tandi sperant.

Luc. 24.

68 Comperitum satis est influxus, qui veniunt à longinquo, non esse admodum utiles subditis, qui Principis ipsius presentia valde indigent. Brevis illa mora, qua Christus in horto secessit à discipulis, satis fuit, ut illi se somno immergerent: *Invenit eos dormientes.* Absente Principe somnus in subditis capit vires, debilitato amore. Planeta, qui telluri plus dominatur, est luna, utpote sole ipso nobis propinquior. Quamvis sol luminum perhibeatur monarcha, tamen longissimo intervallo à terra distat, utque affideat omnibus, gyro perpetuo vertitur ab uno ad alium tropicū, & quando ipse abest, incubante ac persistente nocte, patrant homines foediora scelera, ipsæque bellux sævissimè prædantur. Lux & non sol mundi vocatur Christus: *Ego sum lux mundi.* Quia sol deficit in occasu, lux semper manet. Sit Princeps sol beneficentia illuminandi, dummodo sit

Absentia Principis nocet.

Matth. 26.

Psalm. 103.